

LEBEN
9



Ce 349

PK(5)

PRÆCEPTA ETHICA,
sive regulæ vitæ.

A' G Y O N E
F A V R I O, Q V O N -
D A M R E G I G A L L I Æ A'
consilijs, tetrastichis Gallicis inclu-
sæ, & iam perpetuis senariis
latinè expressæ.

INTERPRETE

Volrado à Plessen Megapolitano.

Ad Illustriss. principem, Fridericum, Co-
mitem Palatinum Rheni, &c.
S. R. Imp. Electorem.

*Accesserunt moralia quædam Ludouici Ariosti, ce-
leberrimi apud Italos poëta, versibus heroicis
latinè reddita; pauca item poëma-
ta latina.*

Eodem interprete, & auctore.



HERBORNÆ,
Ex officina Christophori Coruini.

M. D. LXXVIII.



PRÆCEPTA ETHICÆ

A. G. Y. O. N. E.

T. A. P. I. O. V. O. M.

LIB. I. C. A. P. I. T. U. L. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS

LIB. I. C. A. P. I. T. U. S.

DE VITIIS ET VITIIS



1
**ILLVSTRISSIMO, AC
POTENTISSIMO PRINCI-
PI, FRIDERICO, COMITI PALA-
tino Rheni, Duci Bauarię, & sacri Ro-
mani imperii Electori, domino
suo clementissimo.**

Magna Palatini, generose, atque inclyte
Princeps,
In quo spes sceptri, in quo presidiumq; re-
postum est;

*Cuius mira viget puerili in pectore virtus,
Cuius magnum animum mihi vix captura videtur
Ora, licet lato circumdata limite, Rheni;
Accipe, qua breuiter, vita documenta, recenset
Gallica Musa prius, nunc veste induta Latina:
Accipe, primitias tristi nec reijce vultu,
Quas sterilis parcè nobis produxit agellus.
Sic, veluti reliquis, prisca, virtutibus, cui
Heròas cœpisti imitari: ita nobile magni
Factum Artaxerxis magna cum laude sequêris.
Ille, cauis manibus quam rusticus hauserat, vndam
Ridenti sumpsit fronte, & prono ebibit ore.
Munera nimirum rex humanissimus esse
Non pretio censenda, animo censenda putabat.
Da, precor, Aonijs hoc, ô generose, Deabus,*

A ij

*Vt me, qui illarum à puero sum castra secutus,
Atq; hunc, quem pridem (gelidas licet ortus ad Al-
Adq; Padi ripam fuerit) tibi destino, partum (pes,
Digneris contra momorum ignobile vulgus
Conseruare tui incolumem sub nominis vmbra.*

Cels. T.

addictis.

Volradus à Plessen.



LECTORI.

Singulis tetrastichis Gallicis singuli quatuor senarii latini respondent; nec vel plus, vel minus complectuntur. Quæ res vt difficultatem versionis auxit; ita etiam benigniorem nobis, vt speramus, & æquiores lectorem efficiet.

PRÆ-



PRÆCEPTVM, SIVE
REGVLA I.



*Primum Deū optimum, atq; maximū cole,
Dein parentes; Semper equi, & iusti
amans
Esto, & vides quos opprimi, defendito,
Memor, quòd olim ratio reddenda est Deo.*

II.

*Si motus odio, siue amore iudicas
Iniuste, & ob potentioris munera
Damnas iniqua pauperem sententia,
Vindex Deus tanti est futurus criminis.*

III.

*Cum luce prima opus tuum aggredieris, Dei
Nomen celebra; cumq; vesperi tuos
Claudis labores, denuò lauda Deum,
Totumq; sic annum memor Dei exige.*

IIII.

*Sedens adora, Græcus ille vt precipit.
Vult nanq; perfunctoriè haud coli Deus,
Sed corde stabili, & non vago: cor hoc licet
Nobis dare ille cœlitus solus queat.*

V.

Ne clamites; Mea hoc opus factum est manu:

A iij

*Aut, Nobile hoc virtute opus factum est mea:
Sed dic; Deus per me hoc opus fecit. Boni
Nanq; omnis, homo quod efficit, Deus auctor est.*

VI.

*Est totus orbis nil, nisi ampla ciuitas;
Quiuis vocare se illius ciuem potest;
Et non minus Scythia, aut Arabs, quam ipse Atticus;
Hac inq; re sceptris ligones sunt pares.*

VII.

*In vrbis huius nos Deus pomærio
Posuit, velut sancto loco, facies vbi
Tam varia rerum, picta totq; coloribus
Sapientiam nos eius, & vires docet.*

VIII.

*Non minimus est sacra hac in ade vel angulus,
In quo Dei haud eluceat potentia,
Et constitutus in medio ibidem est homo,
Considerare exactè eam vt passim queat.*

IX.

*Meliùs tamen nusquam hanc potest agnoscere;
Quàm sese in ipso, terso, vbi, in speculo velut,
Terram potest, cœlumq; contemplarier.
Nam parua imago totius mundi est homo.*

X.

*Quicunq; se ipsum noscit, is nescit nihil
Horum, quæ oportet scire. Sed via vnica*

Ad

*Ad illud est; sapientia si in mystico
Speculo aliquis se diligenter aspicit.*

XI.

*In homine quod oculis vides, id non homo est,
Sed carcer hominis potius, & quoddam ipsius
Velut sepulchrum, siue lectus, quo iacens
Somnum (quid haec vita aliud est?) dormit breuem.*

XII.

*Mortale corpus hoc, vbi oculis cernitur
Sanguis, cutis, caro, atq; nerui, & muscoli,
Non est homo. Ille nanq; longè est pulcior,
Eumq; pro templo sibi elegit Deus.*

XIII.

*Rectè loquendo, & propriè, est homo radius
Diuinitatis, & atomus ceu, quam vnitas
Produxit, atq; limpidus ceu riuulus,
Qui fonte ab aeterno omnium rerum fluit.*

XIIII.

*Ergo, ô homo, tuam agnosce rectè originem,
Et infima hæc contemne sublimis loca:
Florere cum cœli olim in horto debeas,
Planta veluti, diuinus est cui vigor.*

XV.

*Efferre tibi licet tuam ob stirpem caput,
Sed non patris mortalis ob clarum genus,
Verum Dei, immortalis est tibi qui pater,*

A iiij

Et qui suam te condidit ad imaginem.

XVI.

*Innumera in arce cœli Idea non volant,
Deceptus olim in hoc vti docuit Plato;
Verùm voluntas sola summi Numinis
Est forma constans rerum in hoc mundo omnium.*

XVII.

*Dictum, atq; factum, sine labore animalia,
Quæcunq; solis igneum aspicit iubar,
Creavit, ac sustentat, & nutrit, suo
Flatug; solo eadem vicissim destruit.*

XVIII.

*Erige tuos oculos, & amplum hunc fornicem,
Et inimitabilem hunc colorem cœrulum
Bene intuere, & hanc rotundam machinam,
Orbemq; , fixa quo mouentur sidera;*

XIX.

*Hæc, & potest quod esse, & est, & quod fuit
In cœlo, & in terra, & profundo in æquore
Simul ac ita est visum Deo, celerrimè
Certam sibi speciem induere singula.*

XX.

*Caue anxie, Epicuri sequare ne gregem
Vilem, & supremi non timentem numinis,
Stulteq; non alium esse credentem Deum,
Rerum nisi immotum, atq; naturæ ordinem.*

Sed

XXI.

*Sed interim ille se in lacunam foetidam
Mergit voluptatum, atq; earum facibus
Se pascit, haud secus, paludum sordibus
Quàm rana gaudet, quàmve sus gaudet luto.*

XXII.

*O ter beatum, qui in Deo spem collocat,
Eiq; dum fortuna ridet, non minùs,
Quàm, cùm tonat eadem, pias fundit preces,
Nec ponit in mortali homine fiduciam.*

XXIII.

*Fiduciam locare te rectè an putas
In re imbecilli, quæq; momento ruit?
Atqui omnium rex huius orbis maximus
Est talis, & custodia aliorum indiget.*

XXIII.

*Vita integer, scelerisq; purus est Deo
Cura: atq; quando deseritur ab omnibus,
Iam tùm minùs multò timet, certò sciens
Sacros sibi adiungi à Deo satellites.*

XXV.

*Fortuna, & etiam corporis bona haud bona
Sunt, si loqui verè velis. Crepundijs
Puerilibus similia nanq; sunt, citò
Pereuntq;. Sola illaesa virtus permanet.*

XXVI.

Virtus duo extrema inter in medio sita est,

A V

Inter parum & nimis ; atq; nunquam non manet
 Intra aureæ mediocritatis limites:
 Non mutuatur ab alio, & sibi sufficit.

XXVII.

Si cui datum videre te, ô virtus, foret
 Nudam, tui quàm cum vreret feruens amor!
 Te nanq; non nisi nube tectam maximi
 Etiam viri potuère cernere hæctenus.

XXVIII.

Latitia filius sui est sapiens patris.
 Sapientem habere filium sed si cupis;
 Dum flecti adhuc potest facile, eum dirige
 Rectam in viam, & præluce ei exemplo tuo.

XXIX.

Sapiente si, ô fili, creatus es patre;
 Cur non inheres ipsius vestigijs?
 Sin minùs; honesta vita, & innocentia
 Neuos tui tegere patris cur non studes?

XXX.

Est aliquid esse genere natum nobili,
 Accipereq; à maioribus lumen suis:
 Sed maius est longè esse lumen posteris,
 Quàm accipere tantùm lumen à maioribus.

XXXI.

Vsq; ad sepulchrum discite semper, perditum
 Ducq; esse negligentia tua diem,

Quo

9
Quo non reposueris aliquid in animo tuo,
Sapientior, meliorq₃ quo reddi queas.

XXXII.

Erranti homini, & itineris ignaro libens,
Et comiter monstrato regiam viam;
Ne in nemore denso se miser eat perditum:
Et lapsus est si fortè, eum rursus erige.

XXXIII.

Quàm propria vitæ, esto honesti amantior.
Intelligo autem honestum in officio situm,
Prestare debet quisq₃ quod pro viribus
Deo, atq₃ regi, & legi, & etiam patriæ.

XXXIII.

Quod iam potes, ne differas in crastinum,
Pigri ut solent; numero inq₃ eorum sis caue,
Committere alijs sua negotia qui solent,
Ipsi cum ea expedire possent rectius.

XXXV.

Amplectere bonos, prava fuge consortia,
Ætatis idq₃ in vere fac potissimum,
Facillimè in quo ab appetitu sensuum
Particula diuinæ auræ humi adfligi potest.

XXXVI.

In biuio vbi (olim ut Herculem illum) videris
Vocare te in diuersa feminas duas,
Sectare eam, que per loca ardua, & aspera

Tibi se fore inquit famam ad eternam ducem.

XXXVII.

*Ceco homini, vt ille corruat, nunquam pedens
Obiycito, nec mordaciori scommate
Utens, leoni velle barbam mortuo,
Aliena nec risu excipe infortunia.*

XXXVIII.

*Stude esse verax in tuis sermonibus,
Siue sit opus perhibere testimonium,
Recreare amicos seu velis facetijs,
Siue salibus tempus molestum fallere.*

XXXIX.

*Forma est quadrata veritas, instar cubi,
Qui non mouetur temerè, vt inconstans globus,
Nunquam est sibi contraria, aut mendax, modo
Quocunq; eamq; intelligas, eadem manet.*

XL.

*Astutus incautas auiculas decipit
Auceps, earum imitando cantum fistula;
Sic melius vt fallat homines, malus boni
Vultum, atq; verba fingere assolet viri.*

XLI.

*Arcana tibi commissa nunquam detege.
Nam maxima hoc signum infidelitatis est.
Aliena ad hæc in facta ne inquiras nimis.
Garrulus enim plerunq; percunctator est.*

{ *Mensura*

XLII.

*Mensura iniqua, aut pondere ut aris caue,
 Quamuis resciri posset hoc à nemine;
 Collataq; in te officia ab alio humaniter
 Reddere aliquo gratus stude cum fœnore.*

XLIII.

*Depositum apud te est si quid, id custodias
 Fideliter; cumq; à te idem reposcitur,
 Ne neçte subriles dolos, cum iniuria
 Alterius iniustas uti cumules opes.*

XLIII.

*Abominare ex corde sanguinarios,
 Vidensq; eos exclama, uti pastor solet
 Numida, feram quando eminùs cernit tigrim
 Diram inter imbelles oues stragem edere.*

XLV.

*Te inferre nulli non sat est iniuriam.
 Nanq; aliud iniustitiæ adhuc superest genus,
 Si nempe non conere ei resistere,
 Verbis cupit qui proximum, aut re ledere.*

XLVI.

*Si strenuus dici cupis, ventri tuo
 Dominare, & iræ; illasq; flammâs pectoris
 Freno, atq; vanos spiritus compescito,
 Quos falsa, ceu follis, ciet persuasio.*

XLVII.

Se vincere ipsum maxima est victoria:

*Hostes suos quisq; in suo gestat sinu;
Ratione quos recta iuuante si opprimat,
Viam sibi ad veram ipse munit gloriam.*

XLVIII.

*Si quis te amicorum tuorum offenderit,
Laxes habenas ne illico iracundia;
Sed comiter, odium ne in ipso suscites,
Purgantem eundem sese, vt æquum est, audias.*

XLIX.

*Errare hominis est; nemini mortalium,
Errasse nunquam, contigit. Nam insignium
Cum vel virum dicta, atq; facta examinas
Exactius, plerosq; nauos inuenis.*

L.

*Vultum seuerum hypocritæ, & tristem adspice;
Rigida innocentia Catonem diceres:
Et interim noctu vagatur, Clodius
Vt ille, legis Iulia parum memor.*

LI.

*Frustra laborat quis sua scelera tegere:
Celareq; illa fortè si reliquos potest,
Celare sese ipsum illa non tamen potest.
Nam conscientia mille testium est vice.*

LII.

*Ipsum verere te magis, quàm ceteros.
Nam, te quàm in ipsum, in neminem peccas magis;
Et,*

*Et, si velis reputare rem recta via,
Rationem oportet te tibi ipsi reddere.*

LIII.

*Re ipsa bonus stude esse, non viderier,
Iustiq; Aristidis sequere vestigia.
Vulgi sinistris mobilis sermonibus,
Ceumurus, opponenda conscientia est.*

LIIII.

*Memineris indigentibus stipem dare
Larga manu, & hilari, ut Deus vult, pectore.
Diuina enim benedictio implebit domum,
Quæ req; consilioq; pauperes iuuat.*

LV.

*Nam cui bona arca foeta nummis, milleq;
Vestes acu pictæ in fragranti capsula,
Ingensq; stipatum hordeo granarium,
Centumq; vasis cella Maluatici tumens;*

LVI.

*Si pauper interim ad tuæ limen domus
Nudus famem, atq; frigus agrè sustinet,
Tremulaq; vbi iam voce clamauit diu,
Vel frustulum panis, nihil vel accipit:*

LVII.

*Robur tibi, æs triplexq; circa pectus est,
Reor, impiè tam pauperem quia negligis,
Cum nudus æquè, ac ille, sis natus tamen;*

AEquè, atq; tu, cumq; ille imago sit Dei.

LVIII.

*Vita omnium est subiecta varijs casibus,
Ipsiq; reges sunt eis obnoxij;
Solutus sed est sapiens solutus legibus
Fortunæ; at hoc vbi ille seculo cernitur?*

LIX.

*Sapiens, licet vinculus catenis, liber est,
Nusquam exterus, solusq; verè diues est,
Solutusq; forti est pectore in periculis,
Casus & humanos suo imperio premit.*

LX.

*Fera tyranni non eum terrent minæ,
Maiusq; ab ipsis accipit robur malis,
Solutusq; nouit, quæ sibi sit debita
Merces, eam à se ipsoq;, non alio, petit.*

LXI.

*Morum elegantia, atq; honestas litteris,
Auròve, vel fauore regum haud quæritur,
Nec vna, & altera actione; Quæritur
Modestè agendi vsu, atq; consuetudine.*

LXII.

*Qui pauca meditatur, legitq; plurima,
Similis ei est, qui auidius ingerit cibum,
Stomachumq; tam varijs subinde ferculis
Onerat, nutrimentum inde nullum vt sentiat.*

Multis

LXIII.

*Multis pateret aditus ad sapientiam,
Nisi ima iam occupasse se penetralia
Stolidi putarent. Ceterum nemo artifex
Nascitur, & vsus solus artifices facit.*

LXIII.

*Ingentia scaturigines paruas habent
Flumina: Gerit statim insolentem se, & ferum
Qui ab initio, haud durat diu; torrens velut,
Qui nomen amittit propinquo in gurgite.*

LXV.

*Pereat malè ille, qui impia Venere utitur,
Operarium aut mercede qui fraudat sua,
Et qui suorum non amicorum est memor,
Perfidus, in ipsorum nisi presentia.*

LXVI.

*Periurus vnquam sis caue: & te oporteat
Perhibere cui si fortè testimonium;
Nec astra, nec elementa, nec hominem: vnus
Iurato sed nomen Dei, ipse vt precipit.*

LXVII.

*Namq; ille, summus osor vt periurij,
Pœnisq; qui castigat illud debitis,
Nullo vocari in testimonium modo
Vult hominem, vt mendacem, & instabilem nimis.*

LXVIII.

Vnam scias artem, inq; ea te exerceas;

B

*Ne messem in alienam tuam falcem inijce,
Sed in tua professione excellere
Stude; quod est laus magna, paucis & datur.*

LXIX.

*Ne plura, quàm stringere queas, amplectere:
Vanis nimis ne inseruias honoribus;
Vtere opibus, nec earum auidus esto nimis:
Nec metue summum, nec tibi opta vnquam diem.*

LXX.

*Nequaquam ad ipsa facta tantum conuenit,
Donum pudoris aurei restringere.
Nam non minus vacare castitas iubet
Labe & oculos, & os, & aures, & manus.*

LXXI.

*Quàm durus est, qui infertur, ictus, auribus?
Idem furoris causa saepe est plurimis,
Et maxime, à lingua ille cum proficiscitur,
Venena qua sermone mellito tegit.*

LXXII.

*Melius foret, vitandum ad ictum tam grauem,
Munire se auribus, vt olim pugiles,
Inire vellent prisca cum certamina,
Romana quæ spectare plebs assueuerat.*

LXXIII.

*Quodcunq; nostras penetrat aures, intimos
Dicto ocyus cerebri recessus occupat:*

Nec

*Nec est remedium hoc certius contra malum,
Quam claudere illas noxijs sermonibus.*

LXXIII.

*Paucissimis mendacium effugere licet,
Aut vanitatem, quando garriunt nimis.
Orationem veritas amat breuem;
Sed copiosam fabula, atq; somnia.*

LXXV.

*Babylonij in vultu illa grauitas regia,
Dum clausa digito labra, ceu sera, premit,
Platone longè exactius homines docet,
Silentium in quo habere pretio oporteat.*

LXXVI.

*Sicut, fores quando aperiuntur regij
Conclauis, est antiquitates cernere,
Pictorum & opera varia, quidquid deniq;
Pretiosi ab Indis Lusitanus aduehit;*

LXXVII.

*Sic artibus tinctus bonis, & plurima
Meditans, loqui & aperire se quando incipit,
Thesaurus ipso adparet ingens limine,
Thesaurus in puteo latens Democriti;*

LXXVIII.

*Quiq; audit illum, Hoc, inquit, est ex Gracia,
Romam hoc sapit, prisca Palestine incola
Modo hoc loquuntur, aliud ex alio est loco,*

B ij

Sed omnia tamen plena sunt sapientiæ.

LXXIX.

*Fortuna quamuis dona opima det, tamen
Nobis tenuia videntur, & feracior
Vicini ager; Cui si mali quid accidit,
Nihil esse, eumq; haud iure dicimus queri.*

LXXX.

*Supplicium opus non est statuere in inuidum:
Iudex sibi ipse est, ipse tormentum est sibi,
Quod nec Phalaridis taurus æquat æneus,
Siculi nec inuenere maius principes.*

LXXXI.

*Depingere ad viuum cupis calumniam?
Quando eius experire virus, tunc eam
Pingas necesse est; nam qui ab illa immunis est,
Non credit esse Erynnidum teterrimam.*

LXXXII.

*Non habitat otiosa vacuo in aere,
Nec in nemoribus, aut sub vndis; credulas
Sed principum aures, atq; regum possidet;
Et innocentes inde, vt ex arce, impetit.*

LXXXIII.

*Quemcunq; monstrum aggreditur hoc, vinclis suis
Tam arcte ligat, mordetq; morem in vipera,
Vt, eius euadat licet tandem manus,
Fœdam cicatricem tamen semper ferat.*

Ne

LXXIIII.

*Ne iudica in tuo ipsius negotio.
 Nam proprijs in rebus omnes fallimur:
 Et commoda, aut incommoda animum adulterant;
 Alterutram vt in partem nimis propendeat.*

LXXV.

*Legem secundum iudica, fidens parum
 Censuræ hominis. Adfectibus nam lex vacat,
 Quæis rapitur homo præceps, folium vt à turbine:
 Illa, vt Deus, præest; hic autem, vt belua.*

LXXVI.

*Numerum sacrum testatur experientia
 Semper sibi æqualem esse, siue sit integer,
 Seu diuidas eum: Sibi est sic ius quoq;
 Semper simile, & eandem vbiq; faciem habet.*

LXXVII.

*Mores vide hominum vrbesq;, Vlysses alter: vt,
 Quam nactus es, tu quoq; Ithacam rectè regas.
 Nam plurimi, euasere qui vasti æquoris
 Syrtes, suæ fecere naufragium domi.*

LXXVIII.

*Iuuenis, senexq; fugito Circes pocula,
 Surdaq; Sirenum aure voces præteri;
 Sin te capi potus fines dulcedine,
 Animalium inter brutus errabis greges.*

LXXIX.

Delibera diu de eo, quod vis semel

B ij

*Promittere; at si quid semel promiseris,
(Si modo rei non turpis est promissio)
Vel hostibus tuis datam serua fidem.*

XC.

*Lex illa, sub qua floruit Respublica,
Seruanda, licet insulsa prima fronte sit;
Sape inde, minimè tu vnde credis, nascitur,
Rebusq; saepe ex friuolis felicitas.*

XCI.

*Quod non potest fieri, id quoq; expetas caue,
Nec posse turpe quid, vel iniustum velis,
Ad normam honestatis, fideliter decet
Exigere, iustitiæ adq; regulam omnia.*

XCII.

*Mutatio legum illa subita maximi
In ciuitate est plena res periculi;
Et si Lycurgus parte in hac felix fuit,
Non vna tamen hirundo ver statim facit.*

XCIII.

*Regum hasce voces: Plena ego hoc potentia,
Ex proprio adfectu, atq; motu hoc ordino,
Decet execrari. Namq; leges subruunt,
Quibus boni se sponte subdunt principes.*

XCIIII.

*Satuere facile, & esse credulum nimis,
Nec verum amicum à blandienti noscero;*

Con-

*Consilia iuuenum, & noua ministrorum cohors,
Vel regias in puluerem redigunt opes.*

XCV.

*Sententiam fronte tegere est vitium, puto,
Seruile, cui perfidia perpetuo est comes;
Et hinc tyrannis in animis potentium,
Ciuium bellorum origo, nascitur.*

XCVI.

*Dare multa regium esse Longimanus probat,
Sed liberalitatis esse opus est modum.
Nam nec dare indignis decet promiscue,
Nec prodigum esse in subditorum iniuriam.*

XCVII.

*Indoctior Sylla est vel ipso, qui dabit
Occasionem vulgo, ad arma vt conuolet.
Namq; hinc futurum est, vt, quod excussit semel,
Semper repellat ensibus strictis iugum.*

XCVIII.

*Democriti rideto risum, si libet,
Postquam est nihil, nisi mera, mundus, vanitas.
Hominum malis sed te vt moueri adpareat,
Heracliti quandoq; funde lacrymas.*

XCIX.

*Erga exterum te comem & humanum gere,
Iuuaq; eundem, si implicitus est litibus;
Sed ne profundas omnia in eum improuidus*

B iij

Bona, inopiam atq; dedecus creans tuis.

C.

*Docebo te, si id scire aues, paucissimis,
Quo pacto amatoria paretur potio.*

*VT A TVIS AMERIS, ESTO AMABILIS:
Philtrum inueniri non potest presentius.*

CI.

*Timor, qui amore genitus, & reuerentia est,
Solidissima est fultura sceptri regij.*

*Sed hoc cui; ODERINT, MODO METVANT;
Magno ille torquetur miser semper metu. (placet,*

CII.

*Diadematis natura si hominibus foret
Perspecta: mallent inijci tumulo, sua
Quam gerere fronte pannum eum plenum dolis,
Curisq; quæ mortalium corda exedunt.*

CIII.

*Nocte & die excubare, nec somno premi,
Vigilare pro aliena salute, & publicis
(Nec tamen inire gratiam vllam) commodis.
Vno, IMPERARE, verbulo dici potest.*

CIIII.

*Nunquam iuuenta comitem ego prudentiam,
Nec eum bene imperare, qui non paruit,
Vidi: nec aliquem metui, vt odio non simul
Esset: tyrannum morte nec sicca mori.*

Saltare

CV.

*Saltare si nolis; choros, moneo, haud adi:
 Conuiujs, cibo si abhorres, abstine;
 Conscende nec nauim, pericla si times;
 Aulam, volens scapham vocare scapham, fuge.*

CVI.

*Linguae venenatae calumniantium,
 Gnathonum & ipso melle sermo dulcior,
 Et amaro amariora felle scommata,
 Et persequendis in bonis animositas;*

CVII.

*Simulare, dissimulare, verum odisseq;
 Tentare, tantum animo nocendi, simplices,
 Et rodere absentem, imbecilli illudere,
 Frequentiores sunt in aula flosculi.*

CVIII.

*Offensus animus principis, res aspera,
 Litesq; amicos, sicut aurum ignis, probant.
 Sapè ille amicus, qui umbra amici est, dicitur;
 Quiq; lapidem Lydium, aspidem velut, fugit.*

CIX.

*Consule boni praesentis imperij statum.
 Quod si monarchia est, monarchiam proba;
 Sin ipsa plebs, aut optimates imperant,
 Proba id quoq;. Deus enim te eo posuit loco.*

CX.

Optare principem bonum omnibus licet,

B ♣

*Sed qualis ille cunq; sit, ferendus est.
Nam præstat imperium tyranni perpeti,
Turbare quàm tranquilla pacis otia.*

CXI.

*Ne cum tuo iocéris vnquam principe,
Renuens modestè, si ille te inuitauerit.
Quicunq; enim fauore regum abutitur,
Lapsu graui, ceu turre ab edita, ruit.*

CXII.

*Si manè, fortuna duce, obscuro è loco,
Repentè summam ad dignitatem ascenderis;
Memineris omne id esse nil, ventum nisi,
Qui forte vix spirabit vsq; ad vesperum.*

CXIII.

*Est maximè medius status durabilis;
Nimis humilem agrum immitis amnis obruit,
Summosq; feriunt crebra montes fulmina.
Sed tutior, & amœnior colliculus est.*

CXIII.

*Natura contenta modico est, & sufficit.
Modicum homini ad viuendum honestè. Sed sua
Qui sorte non contentus est, quò plus habet
Auri, illius maiore eò languet siti.*

CXV.

*Sensim euocari ex orbe ad ætheream domum.
Cùm præditos virtute videris viros;
Verè ita loquere; Magna tempestas breui
Miserum in modum concutiet hanc Rempubicam.*

Virò

CXVI.

*Viri boni sunt ceu columna, & ceu bases.
Firma, atq; solidi fornices, Rempublicans.
Qui fulciunt dubio, asperoq; tempore,
Humerisq; molem totius regni ferunt.*

CXVII.

*Homines queruntur, vita quod nimium est brevis,
Puerilibus cum rebus, & nugis suos
Annos terant: qui non forent breues nimis,
Vtilia vita si agere vellent serio.*

CXVIII.

*Nunquam potes dignum rependere premium
Parentibus, aluere qui te paruulum
Solicite; adhuc minusq; preceptoribus,
Recte agere qui docuere te, & recte loqui.*

CXIX.

*Ad mensam, & in theatro, & in domibus sacris
Seni loco promptus, libensq; cedito;
Illius etatem tu vbi attigeris, tibi
Idem ab alijs honos vicissim habebitur.*

CXX.

*Quicumq; se te aduersus ingratum gerit,
Beneficij tui ille praco est publicus.
Odiosa res beneficij ex probratio est,
Et exprobranti iam relata est gratia.*

CXXI.

*Bibere, edere, exercere se, sed cum modo,
Bonum est tuenda sanitatis remedium.*

*Si fortè aliquis excessu in his peccauerit,
Naturæ is infert vim, & sibi accelerat necem.*

CXXII.

*Si quis malus facit tibi conuitium,
Quid id tua refert? Tibi hoc est gloria;
Conuitium auctore à suo vires capit.
Laudati amica laus viri suauissima est.*

CXXIII.

*Nos vera rerum amissimus vocabula.
Nam sepè vitium splendido illo nomine,
Quod solius virtutis est nota, comitur;
Promiscuè laudem, atq; crimen dicimus.*

CXXIII.

*In optimam partem accipe id, quod dicitur,
Neusq; proximi ser æquo pectore,
Eiusq; vitia sollicitè semper tege;
Sis promptus ad laudem, ad reprendendum piger.*

CXXV.

*Qui se putat, dicitq; sapere, hunc iudica
Fatum: Solonis qui arrogat nomen sibi;
Hunc si, bolide iacta velut, tentaueris;
Vanam, reperies nil, nisi loquentiam.*

CXXVI.

*Quò doctior quisq; est, eò minus sibi
Fidit. Homo, qui est virtute præditus, nihil
Tribuit sibi arroganter. En fructus meæ
Sacra in philosophiæ officina industriæ.*


FINIS.



MORALIA QV AE-
DAM LVDOVICI ARIO-
STI, CELEBERRIMI APVD ITA-
los poëtae, in versus heröicos Lati-
nos conuerfa;

PAVCA ITEM POËMA-
tia Latina.

Interprete, & auctore Volrado
à Plessen.



M. D. LXXXVIII.



Singulis octonariis Italicis (vulgò
Italicè octaue, siue stanze vocantur) sin-
guli octo versus heröici Latini & nume-
ro, & sensu respondent.



M O R A



MORALE I.

Res equidem, simulare & dissimulare, videtur
Iusto indigna viro, & vitiosi pectoris index;

Sed tamen è magnis sola hac ratione periculis
Multos euasisse ipsa experientia monstrat.
Sanè, hominũ quàm sint corrupti hoc tempore mō-
Qui videt, vt sint q̄ inuidia oīa plena, dolisq̄, (res,
Quem, queso, rectè cui fidat, credat amicum,
Et tutò arcanas cui res committere possit?

II.

Inter, quæ toto viuunt, animalia, mundo,
Tranquilla iucunda colant siue otia pacis,
Siue quis illis obijciat certamina casus,
Perpetitur proprio nihil à mare femina damni.
Vrsa vrso comes in syluis sine litibus errat,
Forti adstat rixarum ignara leæna leoni, (cum,
Non timet indomitum mansueta iuuenca iuuen-
Immotoq̄, lupum lupa consecatur amore.

Quenam igitur pestis, quenam furiosa Megera
Humana infecit tam diro corda veneno,
Vxori vt semper conuitia magna maritus,
Vtq̄, vxor contrà dicat maiora marito,
Vt faciem lacerent sibi, conscindantq̄, capillos,

*Vtq; rigent largo genialia stragula fletu,
Nec fletu tantum, sed multo sæpè cruore,
Ira inflammatis quando furor arma ministrat?*

*Indignam mihi rem vir designare videtur,
Et bellum naturæ, ipsiq; indicere cœlo,
Qui imbellis faciem mulieris tundere pugno
Sustinet, aut pexos torquere, & vellere crines.
Verùm illi nitido qui toxica præbet in auro,
Eripit aut ferro, vel torta cannabe vitam,
Hunc ego nunq̃ hominem credam, sed demonia, qui
Humano patret tam enormia crimina vultu. (sub*

III.

*Ab miserum, malè quisquis agit, speratq; futu-
Ut sua perpetuæ inuoluant delicta tenebræ! (rum,
Nam si omnes taceant homines, ipse aër, & ipsa
Clamat humus, furtim fuso quæ tincta cruore est.
Tum Deus, indulgit postquam iam sæpè, diuq;,
Delinquentem adigit non rarò, vt detegat ipse
Imprudens, nullo quæ admisit, crimina, teste,
Et quæ concubiæ texere silentia noctis.*

IIII.

*Digna et si semper magna est victoria laude,
Ingenio seu quis vincat, seu Marte fauente;
Attamen illa ducis minuit victoria nomen,
Robore quæ solo, & multo quæ sanguine parta est.
Verùm ille æternæ meruit præconia fame,
Proximè & ad Diuûm virtute accessit honores,
Conseruare suos pariter qui nouit, & hostem.*

Deuictum

Deuictū aut occūbere humi, aut dare terga coëgit.

V.

*Cū peccata hominū tanto cumulantur aceruo,
Vt veniam numero, atq; immenso pondere vincant;
Tunc, se vt nō tantūm monstret facilemq; bonumq;
Verūm etiam iustum, sēuis Deus ipse tyrannis
Sceptra, quib. populum contundant, ferrea tradit.
Sic Romam immanis fœdauit sanguine Sylla,
Et Marius; sic his longè peiora patrârunt
Immitis Caius, nec non, duo monstra, Nerones.*

VI.

*Laudo quidē semp, generose, atq; inclyte Princeps,
Quidq; agis; nēpe hoc virtus tua summa meretur;
(Quanquam, agnosco, tuarum haud paruum detero
Ingenij culpa partē, stridentēq; plectro) (laudum
Sed tamen hoc vnum in te dignū ante omnia laude
Cuius ad te aditus mollis, nulliq; negatur; (est;
Non tamen, vt præstas faciles adeuntibus aures,
Sic fidem eorum adhibes nullo discrimine dictis.*

*Sapè soles miseri absentis defendere causam,
Criminibus quem turba onerauerat inuida fictis;
Aut aurem absenti clausam seruare sinistram,
Accusatoris dextra dum verba recondis.
Nunquam hominem damnas, cuius non videris ipse
Os prius, & qua se tentet ratione tueri.
Quin votum interdum totos suspendis in annos,
Ne damnes temerè innocuū, absoluasve nocentem.*

VII.

Nemo scit, à quonam verè, & cōstanter ametur,

C

Summa parte rota, vaga quam sors versat in horas,
 Dum sedet; adstat ei pariter quia fidus amicus,
 Et fictus, purumq; ambo profitentur amorem.
 At soli pluuia si forte, ac tristia letis
 Succedant, tergum fictus vertitq; fugitq;
 Sed qui sincero dilexit pectore, amârit
 Quàm verè, ipsa etiam post funera monstrat amici.

VIII.

Non tam arctè, nodis quanquam compacta tre-
 Vlla ligat restis, nec ligno clauus inheret, (centis,
 Quàm ligat alma fides obseruans pectus honesti,
 Hinc illam veteres mundo velamine, & ipsas
 Quòd candore niues potuisset vincere, tectam
 Pingere consuerant; minimus quia scilicet error,
 Exigua & fidei maculata, eaq; vnica labes
 Deformis mirè est tam puro in corpore nauus.

Non violanda fides vnquam est, seu plurib. illa,
 Siue vni soli data sit; seruandaq; sanctè
 AEquè est in sylua, obscura promissave in antro,
 Vrbe procul; quàm quæ in conspectu iudicis, atq;
 Coram teste fuit data, confessuq; togato.
 Nec dixisse opus est; Mare, terram, & sidera iuro;
 Te testor, Neptune, & te, imi ò rector Auerni,
 Teq; ò Phœbe. Vno satis est promittere verbo.

IX.

Auri ò sacra fames, amor ò infamis habendi,
 Non ego te abiectos animos, vilesq; labore
 Exiguo miror trahere in tua retia posse;
 Sed quòd eos etiam fallaci decipis hamo,

Et

Et dura captos vincis sine fine catena,
 Vertice sublimi qui sidera forte ferirent,
 Nulla essent illis modò si commercia tecum;
 Mira mihi res, & propè non credenda videtur.

Hic didicit vastum metiri industrius orbem,
 Abstrusas didicit causas cognoscere rerum,
 Natura arcana passim quas procreat arte,
 Sedesq; ipsas, ingenij bonitate, Deorum
 Perlustrat. Sed cùm illius præcordia virus
 Tangit auaritiæ, tum nil, nisi querere nummos
 (Quæsitis quanquam miser abstinet, ac timet vti)
 Cogitat inq; illis spem, præsidiumq; reponit.

Ille manu promptus confertos dissipat hostes,
 Ferratas rumpitq; inuictò robore portas;
 Primus sese offert, loca sunt vbi plena pericli;
 Postremus, litui monitus clangore, recedit:
 Nec tamen hunc vires tantæ, & tam viuuda virtus
 Defendunt, quin tu illum æterno carcere claudas.
 Mille alios taceo, quorum super æthera fama
 Nota foret sine te, & seclis memoranda futuris.

X.

Sis cuiuis, licet ignoto, prodesse paratus.
 Debita nam rarò benefactis præmia desunt,
 Et desint si fortè, tamen nihil inde pericli est.
 Læseris at si quem, manet alta mente reposita,
 Nec perit, in duro quia sculpta, iniuria, saxo est.
 Stant equidem montes immoti (vulgus vt inquit)
 Sed se sepè locus talis mortalibus offert,
 Prompta in quo veteris sit pœna, aut gratia facti.

XI.

Sapè amor exiguum tectū, & mapalia concors
 Incolit, est tenui congestum vbi cespite culmen;
 Est vbi pauperies, vbi mille incommoda vitæ,
 Atq; ibi perpetuo coniungit pectora nodo.
 Idem magnorum vitat penetralia regum,
 Inter diuitias vbi, Sidoniosq; tapetes
 Insidia & fraudes regnant, sunt omnia ficta,
 Sunt melle imbuta lingua, præcordia felle.

XII.

Mens iram debet regere, & compescere duro
 Atra bile nimis turgentia pectora freno.
 Namq; aliquis si omnes irarum effundat habenas,
 Atq; ita vel factò, vel verbis ledat amicum;
 Quantumuis se post fletu, curisq; fatiget,
 Non tamen infectum fit factum, aut tollitur error.
 Hei mihi, nunc frustra doleo, quòd mota per iram
 Vicino mea lingua fuit tam lubrica cantu.

XIII.

O infirmam hominū mentem, ô variabile pectus!
 Quanta consilium leuitate, inceptaq; mutant!
 Quod placuit modò, post momentum displicet hora;
 Præcipuè, si intus Veneris cor roditur igni.
 Aduersus muliebre genus paulò antè flagrabat
 Ira, odioq; dolo impulsus Saracenus amica:
 Nunc illum intuitu sic mouit Olympia solo,
 Irarum vt flammæ flammis vincantur amoris.

FINIS MORALIVM.

AD



AD CL. V. D. IOANNEM CA-
SELIVM, PHILOSOPHIÆ APVD
Rostochienses Professore[m].



*Nonnullis audax nimium, stolidusq; vi-
debor,
Quod non erubui inter tot, tantosq; poë-
tas,*

*Extento quorum nomen celebrabitur ævo,
Prodire in medium, atq; inter strepere anser olores;
Verùm illi norint me aliorum exempla tueri.
Nam si diuini valuisset fama Maronis,
Absterrere alios texendo à carmine: nostras
Non oblectaret numerosus Horatius aures;
Nec, tu, ciuili tinctos, Lucane, cruore
Campos sublimi tentasses dicere versu.
Atq; horum rursus nomen, doctrinaq; nostri
Si secli calamum extorsisset fortè poëtis:
Et Sannazarium, & Pontanum, lumina bina
Italiae, & Buchananum, quem nunc Scotia iactat,
Scalligerumq; decus Gallorum, obliuio densis
Inuida perpetuò fuerat tectura tenebris.
Ergo aliquid iure his etiam tentare licebit,
Quos nostra hæc præsens in lucem protulit ætas.
Sed dices: Nihil hoc ad te. Nam nobile priscis
Istos ingenium, & facundia vatibus æquat:*

C ij

Tu vix à primo vidisti limine Musas,
 Incultosq; tibi profert vena arida versus.
 Non equidem inficior; sed me sincera voluntas,
 Quæ (vires desint licet) est laudanda, tuetur.
 Si prodesse volunt, aut delectare poëta;
 Proderimus fortasse, aut delectabimus. Antè
 Ausones Italico soli hæc sermone legebant;
 Nunc verò hæc eadem, linguæ quicunq; Latine
 Gnarus erit, proprio poterit cognoscere Marte.
 Hic noster scopus, hæc mens nostra, hæc summaq; no-
 Cõsiliij. Aõnidũ decus, & laus magna sororũ, (stri est
 Casseli, tua fortè meo suffragia voto
 Si iungis, sat erit. Toto percrebruit orbe,
 Quàm tu sis Phæbo acceptus, quàm charus alumnus
 Sis Musis. Testis pretiosa est arcula, qua te
 Donauere Deæ, tanquam mercede laborum,
 Ipsarum in castris quos tot iam suscipis annos.
 Nec verò, vt multi, thesaurum hunc abdis auarus,
 Aut fruëris solus; promis rarissima quæq;
 Et medio exponis cuiuis sumenda Lyceo.
 Hinc semper nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Ad CL.V.D. Ioannem Posthium, no-
 bilissimum & medicum, &
 poëtam.

Auctor sæpè mihi, erudite Posthi,
 (Quod credo meminisse te) fuisti,
 Vt vellem edere, quos Camæna, fessum
 Relaxare animum meum volenti

Con-

Consuérat mihi dictitare, versus.
 Tu (quamuis reuente me) solebas
 Meas esse aliquid putare nugas.
 En tandem tibi gessi, amice, morem.
 Nunc defendere partium est tuarum
 Hunc nouum, & temerarium poëtam.

Pro Lucretia.

Nec castæ impurus placuit Lucretiæ adulter,
 Ob scelus alterius nec furiosa ruit.
 Criminibus ne sit post mortem obnoxia falsis,
 Vim solo (fatur) corpore malo pati.
 Sed cùm, re patri exposita, fidoq; marito,
 Consultum fama cerneret esse sua;
 Liberet vt puram maculato è carcere mentem,
 Sponte sibi immites inijcit ipsa manus.
 Rectè Romano fecit Lucretia more;
 Nos aliud cogit dicere vera fides.

Homines mortem absentem inuoca-
 re, præsentem timere.

Non rarò exclamat miser, & quem viuere tædet:
 Fatales infer, mors, mihi, quæso, manus.
 Idem, vbi mors rigida præstò est cum falce; Rapaces
 Abstineas, inquit, mors violenta, manus. (nens,
 Hinc mors vota hominum sibimet contraria cer-
 Non quæsita, venit sponte; vocata, fugit.

Inter spem, & metum.

Spes, & metus mortalia agitant pectora.

Miscentq̄. Si sperare quid boni velis,
 Vetat metus: Metuere sin verò incipis,
 Animumq̄ despondere; spes rursus vetat.
 Sic nec metuimus absq̄ spe, nec sine metu
 Speramus; Hæ sunt cordibus nostris vices.

Contra eos, qui fatidicos consulunt.

Venturas tanto cur res ardescis amore
 Cognoscendi, & quàm fiant, multò antè videndi?
 Vel bona prædixit tibi, vel mala callidus augur.
 Si bona; tum rursus verè est, falsòve locutus:
 Si verè; tu res animo impatiente secundas
 Expectas, mireq̄ tibi mora parua molesta est.
 Addo, quòd illa tibi haud dubiè dulcedo peribit,
 Insperata aliàs quam mens ob gaudia sentit.
 Sin falsò; hoc certè est coruos deludere hiantes,
 Et spebus lactare hominum præcordia vanis.

Iam si fortè mali tibi quid prædixit aruspex:
 Tunc etiam verè est idem, falsòve locutus.
 Si verè, tristem deges, plenamq̄ timore,
 Et lacrymis vitam: tibi cum fatalia damna
 Impendere scias, quæ non vitare licebit.
 Sin falsò; falsis quid, quæso, doloribus angi
 Attinet, & vanas versare in pectore curas?

Animum nimis vagum cohibendum.
 O mens, quæ tot nunc annos suspensa vagaris,
 Nec potes in certa sistere parte gradum; (nam
 Siste gradum, in portu es: fragilem rursusne cari-
 Vis Boreæ, & seuo credere, stulta, mari?

Nunc

*Nunc viuam, vitæ si quid mihi fata relinquunt;
Nunc moriar, vitam si mihi fata negant.*

*In serenissimam, & potentissimam An-
gliæ, &c. reginam Elisabetham.*

*Quæ regit imperio stabili, faustoq; Britannos,
Quæ regit Hibernos eadem, generosa virago;
Vt doctos doctrina, & acumine vincit acutos,
Magnanimos forti sic vincit pectore reges.
Hæc si tot vitam posset producere ad annos,
Quot tam præstanti dotes in corpore regnant;
Fila illi serò legerent fatalia Parca,
Aut potius nunquam legerent. Namq; illius ex quo
Virtutes sunt innumeræ, sine fineq; dotes;
Anni essent etiam innumeri, sine fineq; vita.*

*Vnum perpetuas lacrymas, questusq; meretur;
Fato nescio quo, tam raro ex semine nulla
Progenita est soboles, per quam longo ordine posset
Extendi ad seros virtus materna nepotes.*

*In Franciscum Drac Anglum, nobilissi-
mum classis Anglicæ ducem, Hi-
spaniæ, & Lusitaniæ littora
depopulantem.*

*Vt Draco tercentum vix vnus cernitur annis,
Omineq; ingenti mortalia pectora terret;
Non secus Hesperijs visus Draco nuper in oris
Cuncta metu impleuit: trepidi fugere coloni
Damarum ritu; stationes, vallaq; miles
Deseruit, cæcis seseq; abscondidit antris,*

*Sic impunè Draco ferro, & flamma omnia vastans
 Posse etiam audacem vinci monstravit Iberum.*

In Venetias.

*Europamq̄, Asiamq̄, quid peragras,
 Desertas Lybiae sicca arenas,
 Recentésve colonias Iberum?
 Urbem adi Venetam modò, & videbis
 In vna omnia regna ciuitate.*

In Patauium.

*Est vrbis Venetae vrbs mater, Patauina: sed illa
 Obtinuit tantas rectè vtens tempore vires,
 Securè vt mater sub nata dormiat alis.*

In Romam.

*Roma caput mundi quondam non victa vocata est;
 Nunc victa Italiae vix caput dici potest.*

In eandem.

*Roma eius animalis, quod olim inuicta erat,
 Pellis vocari hoc non malè potest tempore.*

In Florentiam.

*Tale tibi impositum meritò est, Florentia, nomen;
 Namq̄, vrbium es flos omnium.*

In Lucam.

*Consilium, populus concors, munitus & agger;
 Haec tria sunt, quibus auspicijs sub Caesaris hostes
 Libertatem inter medios sibi Luca tuetur.*

Nemi-

Neminem ante obitum felicem dicendum esse.

*Felix nemo potest, fortunatusve vocari,
Suprema nondum cui terminus imminet hora;
Ut nec se vastis immunem à fluctibus illi
Appellare licet, commoti quæ æquoris ira,
Cui nondum in tuto demissa est anchora portu.
Res letas raro rebus succedere letis,
Et contra mala iuncta malis, nexasque catena
Perpetua curas curis, ipse edocet usus.*

Tria in vita utiliter observari.

*Sunt tria, quæ in tota meminisse est utile vita.
Quod nemo reperire potest, id querere noli:
Ne temerè, quæ sunt rationi haud consona, credas:
Cum fortuna aliquod donum tibi porrigit, illud
Clausula stringe manu, & fugiat ne forte, caueo.*

In natalem.

*Qui me hoc, alme Deus, vitales luminis auras
Haurire voluisti die,
Da Spartam mihi, ad hanc ornandam & suffice vires;
Fac, ne nimis mundum colam;
Iniustas ne secter opes, nec vener honores
Non Christianis artibus.
Sed me sorte mea contentum hanc vivere vitam,
Nullique noxium, siæ.*

Dialogus inter poëtam, & pictorem,
qui fauorem sub specie iuue-
nis depingit.

Poëta. Dic, quæso, ô pictor, mihi, ni tibi forte molestum est,
Quæ sit, quem pingis tanta arte, Fauoris origo?

Pictor. Vt magna in reliquis hominum est dissensio rebus,
Sic quoq; in hac dubias distraxit opinio mentes.

Nam quidam sunt, qui nasci statuere Fauorem
Corporis ex pulcro aspectu, formæq; lepore.

Verum alij, quod sit Fortune filius, aiunt.

Sunt, qui fortuito illum in lucem irrepere casu;

Sunt, qui animi virtute putent, bonitateq; gigni.

Po. Quænam ista est mulier, lateri quæ illius adheret,
Atq; illum assidue sectatur, corpus vt umbra?

Pict. Illa secundarum est comes Assentatio rerum.

Po. Altera sed quænam est, quæ eius vestigia carpit?

Pict. Inuidia, alterius tabescens rebus opimis.

Po. Quænam illum denso cingit passim agmine turba?

Pict. Perpetui comites sunt, affecleq; Fauoris.

Huic parent leges: sequitur damnosa voluptas,

Diuitie, ambitio male suada, superbia, honores,

Et radix vitij omnis, amor sceleratus habendi.

Po. Alas cur illi appingis? Pict. Quia flatus eundem
Fortune blando facit ire per ardua motu,

Et planam, tutamq; viam contemnere cogit.

Po. Cur cæcum fingis? Pict. Quia, qui tolluntur in altũ,
Prætereunt veteres, ceu cassi lumine, amicos.

Po. Sed cur, quæso, rotæ insistit? Pict. Quia passim idem
Incertis æquè, ac Fortuna, volubilis errat.

Sed

*Sed cur tam tumido est vultu, tamq̄ ore superbo?
Sic inflant homines quia res plerunq̄ secundæ,
Ut planè immemores, quàm sint humana caduca,
Quàm fors infida, ingentes sibi sumere stulti
Non dubitent animos, aspernariq̄ minores.*

Po.
Pict.

Ad optimum, & doctissimum virum Dn. M.
Bernhardum Hedericum, scholę Sue-
rinensis Rectorem, præcepto-
rem suum fidelissi-
mum.

*Absit, vt te, Hederice, non recorder,
Nec sit mentio in hoc tui libello.
Nam tu sollicitus meæ iuuentæ
Custos, & veluti pater fuisti.
Tu virtutis amore adhuc tenellum
Informare animum optimè sciebas.
Pro tantis meritis tibi referre
Hanc tantum mihi gratiam licebit,
Ut soles tibi candidos tot optem,
Quot curas peperisti tibi, & labores.*

Aulici cuiusdam senis de vitæ huius
vanitate querela.

*Non fuit mea vita, vita: verum
Mors proluxa: dies mei fuere
Non dies, potius leues sed vmbra.
Anni, anni quoq̄ non mei fuerunt,
Sed bulle, quæ obeunt citò ipso in ortu.
Voluptas mea, non fuit voluptas,*

*Fuit myrrha, aloëq₃ tecta melle.
 Iuventus mea, non fuit iuventus;
 Fuit somnium: & ipse non recordor,
 Quidnam hoc cernere somnio viderer.*

*Omnia prætereunt præter amare
 Deum.*

*Imperium, gemmae, aurum, vasa argentea, hono-
 (Quas res nos ceca suadete cupidine quoddam (res;
 Ceu numen colimus) cura, varij₃ labores
 Exigui spatio euanescent temporis: At que
 Grata Deo facimus, nullo morientur in æuo.*

F I N I S.

o.

s.

u-
is,

u

n.






ALVEN

3





PRÆCEPTA ETHICA,
sive regulæ vitæ.

A' G Y O N E
FAVRIO, QVON-
DAM REGI GALLIÆ A'
consilij, tetrastichis Gallicis inclu-
sæ, & iam perpetuis senariis
latinè expressæ.

INTERPRETE

Volrado à Plessen Megapolitano.

Ad Illustriss. principem, Fridericum, Co-
mitem Palatinum Rheni, &c.

S. R. Imp. Electorem.

*Accesserunt moralia quædam Ludouici Ariosti, ce-
leberrimi apud Italos poëta, versibus heroicis
latinè reddita; pauca item poëma-
ta latina.*

Eodem interprete, & auctore.



HERBORNÆ,
Ex officina Christophori Coruini.

M. D. LXXXVIII.

